

P R Æ F A T I O.

Non fugit vitium, qui ab uno alterove se expedit, & pluribus aliis nihilominus tenetur implicitus. Habitus omnes exuendi sunt. Exceptionem nec facit, nec patitur pius animus. Ut exuantur ferio, totius divinæ Religionis amore opus est. Sic enim fit, ut omnes ac singuli pariter odio habeantur. Religio distinctionem non patitur, nec amor divisionem. Nec mirum. Quod in corpore lethale vulnus, id in anima cuiuslibet peccati habitus est. Unus solus ad nos æternum damnandos sufficit.

Atque hisce quidem omnibus si jungamus caritatis & commiserationis affectum, tum verò explevimus numeros omnes officij nostri. Videmus Christianum populum in infinitas penè sectas & sectarum particulas membratim discerp- tum ac divulsum esse, & dirarum inimicitiarum, quæ ex istis ferè solent fluere, nec modum nec finem esse. Jacet, jacet, proh dolor! corpus illud sacrosanctum, quod tam blandi, tam pacifici, tam misericordis Domini ac Magistri nomen præ se fert, miserè in sua propria viscera conversum, Cadimè victo- riis dilaceratum ac penè in frustra concisum. Quælibet secta unguis & dentes in vulneribus istis impactos tenet, ut labia jam satis hiantia magis magisque à se invicem divellat ac di- strahat. Nulla ferè de iis adducendis, conglutinandis, sanandis cogitat. Ferreus est, quisquis hæc videt, & non ex imo pe- ctore ingemiscit. Fieri enim non potest, quin hæc labe, hæc macula, hoc opprobrium in Dominum ipsum Jesum & sacro- sanctam ejus Religionem redundet. Habent inde Judæi, cur ab ea toto animo maneant alieni atque aversi: Profani verò & mundani homines, cur ex præscripto ejus non vivant, adeoq; in peius indies proficiant. Et quæ, obsecro, tanti mali causa est? Nempe, quælibet secta non tam hoc agit, ut se à supersti- tiosis, idololatricis, falsis cultibus præstet immunem; quam ut opiniones suas peculiare stabiliat & statuminet. Qui in istas consentiunt, eos singulæ suos vocant, nullo penè vitæ cæteræ discri-

discri-